

SECTIO VIII.

DE

FORMVLA MORSV-
LORVM.

§. 449.

Morsulus, qui etiam *electuarium solidum*, Quid sit morsulus.
tabula, tabella, tessella, tessellula no-
 minatur, est medicamentum internum siccum,
 variae, vtpurimum oblongae quadratae figu-
 rae, ex varia materie, interuentu sacchari so-
 luti et cocti in formam solidam fragilera re-
 ducta, constans. Requiritur et laudatur in eo
 soliditas cum fragilitate, cohaesio non lente-
 scens, facile in ore deliquium et vsus iu-
 cundus.

§. 450.

Locutus sum §. 449 de morsuli specie
 hodie vsitata, hoc est, de tali morsulo, qua-
 lis in officinis prostare et a Medicis praescribi
 solet. Eiusmodi morsulus est compositus,
 vti patet ex 449. collato ad §. 34. Morsu-
 lum vero tum simplicem, ex commodo ingre-
 diente sine saccharo, tum compositum, ex
 variorum idoneorum ingredientium miscela,
 itidem sine sacchari interuentu, praeparari
 posse, nullum plane est dubium, sed eiusmodi
 morsuli vsu non sunt recepti, hinc consi-
 deremus tantum vsitationes.

R 2

§. 451.

§. 451.

De exci-
pienti-
bus et
excipi-
endis in
morsulis.

Materies, quae morsulum, de quo §. 449. locutus sum, ingreditur, est itidem, vt in bolo, electuario, eclegmate et pilulis, vel *excipiens*, vel *excipienda*. *Excipiendorum in morsulis vice* fungi possunt ea omnia, quae loco ingredientium in electuario adhiberi possunt et recensita sunt §. 335. 363. Patet exinde simul ratio, cur morsulus nomine-
tur electuarium solidum. *Excipiens morsuli* est saccharum minus pingue, in liquore idoneo, aquoso maxime, solutum et ad debitam consistentiam incoctum.

§. 452.

Quanam
morsulos
ingredi
non de-
beant.

Cum ad morsuli bonitatem requiratur, vt partes eius constituent solidum fragile, in ore facile liquefcens et iucundi vsus, nec lentore cohaereant §. 449, patet, gummi, extracta, succos denfos, terrestria pingua, idque genus alia tenacia, quantum fieri potest, in morsulis esse vitanda, vel iis saltem pariori quantitate commiscenda. Easdem ob rationes nec sapore, vel odore molesta, morsulos ingrediuntur, nec vnguinosi locus in iis conceditur, nec saccharum vel pinguedine propria, vel misto glutine lentum, sed tantum albis-
simum simplex, vel rosatum, hic adhibetur. Salia quoque, praesertim facile liquefcencia vel exhalantia, vix recipiuntur. Crassiori-
bus quidem pulueribus, si sunt molliculi, in
mor-

morsulis est locus, sed duriora, nisi tenuissime sint comminuta, exulare debent, quoniam mansa molestum excitant stridorem.

§. 453.

Quoniam morsulos saccharum solutum et *Acida*, ad debitam consistentiam redactum ingredi- *fossilia*,
tur §. 449. 451. ea, quae saccharo commixta *adstring-*
vires suas perdunt, uti *adstringentia*, in- *gentia*,
crassantia idque genus alia, vel quae impediunt, *incras-*
quo minus id in debitam consistentiam redigi *santia*,
possit, uti *acida fossilia*, in morsulis non sunt *nuclei*
adhibenda. Neque in iis, praesertim, si diu *facile*
sunt conseruandi, nuclei oleo facile rance- *rances-*
scente scatentes, carnes et similia sunt prae- *centes*
scribenda. E contrario generosiorum, quin *in mor-*
et specificè grauiorum vlus in morsulis ad- *sulis sunt*
mitti potest, dum modo cum aliis ingredien- *vitanda*.
tibus aequabiliter misceantur.

§. 454.

Odoris suauitas morsulis ambra, moscho, De odo-
zibetho, parciore quantitate intermixtis, vel *ris et co-*
liquidis fragrantibus, ut oleis, essentiis, etc. *loris gra-*
eorum massae iam congelatae affusis, et colo- *tia mor-*
ris gratia appressis auri, argentique foliis, *sulis*
vel varii coloris flosculis, minutim concisis et *conci-*
paulo ante refrigerium inspersis, iis conciliari *lianda*.
solet, atque his, si circumstantiae requirunt,
aliquis uti potest, memor tamen dictorum §. 65.

R 3

§. 455.

§. 455.

De quan- Quantitas excipendorum in morfulis ex
tate ex- singulorum quantitate et qualitate, collata ad
cipien- qualitatem et quantitatem finis, qui intenditur,
dorum determinatur. Excipientis autem, sacchari ni-
et excipi- mirum, quadruplum vel sextuplum, ratione ex-
entium cipiendorum, commode adhibetur. Alii sac-
in mor- chari octuplum, imo plus recipiunt, sed minus
fulis, recte, quoniam tanta eius mole virtus reliquo-
rum diffunditur, quin plane interdum obtun-
ditur, et dosis efficax sine necessitate auge-
tur. Sed praeterea circa haec maxime ad
excipiendorum pondus specificum et consi-
stentiam est respiciendum. Leuissima enim
excipienda, ob volumen eorum maius, maiori
indigent excipientis, sacchari scilicet, quan-
titate, sicca vero, dura, bibula, cum parciore
eiusdem quantitate in debitam abeunt for-
mam.

§. 456.

Si exci- Si excipienda ipsa continent saccharum,
pienda vti conseruae, condita, confectioes, etc.,
saccha- excipientis, sacchari nimirum, quantitas pro
rum con- rata est imminuenda. Interdum sacchari ad
tinent, reliqua ingredientia proportio pharmacopoei
illius iudicio relinquatur determinanda, a quo ta-
quantis men est abstinendum, si dosis requiritur de-
pro terminata; ad quod accedit, quod hac in re
rata est pharmacopoei non certos obseruent limites.
imminu-
enda.

§. 457.

§. 457.

Medici eundem fere in scribendis morsuli ingredientibus sequuntur, quem in trochiscis et pilulis §. 420. ordinem. *Moles morsuli* rarissime determinatur pondere vel volumine, nec adeo exacta est, quin a drachma vna vsque ad vnciam dimidiam, et vltra extendatur. *Dosis* determinatur vel numero, vt ad dimidium, vnum, duos, etc. morsulos, pro eorundem magnitudine maiori vel minori, vel frustulo, si morsuli massa integra est et indiuisa, vel pondere, si efficaciora continentur, vnciam tamen vix excedere solet. *Quantitas generalis* vnciis quatuor minor haud commode praeparatur; sed ad hoc saepius non respicitur. Si officinales morsuli in vsum vocantur, tantum, quantum scopo sufficit, praescribere licet, quamuis ne vnciam quidem dimidiam superet.

§. 458.

Morsuli hodie rarius in vsum vocantur, De vfu interdum tamen sub eorum forma purgantia, morsu- anthelmintica, stomachica, carminatiua, ant- lorum, acida, roborantia, aphrodisiaca, bechica, halitus foetorem corrigentia, exhibentur. Est praeterea haec medicamenti species domestico vsui et iter facientibus satis commoda, ad qualitates medicamenti molestas, saporem vel odorem afficientes, abscondendas fucumque infantibus aliisque, qui palati deliciis indulgent, faciendum, non inepta, et manet

R 4

fat

fat diu integra atque in orrupta. E contra-
rio autem scopo medico, quo actio deside-
ratur expedita, atque iis, quibus dulcia fa-
stidio sunt et noxia, minus conuenit,

§. 459.

Exempla sunt:

I. Morfuli purgantes et laxantes

I.

R. pulv. rad. ialapp. ℥iij .

scammon opt. ℥ij .

℥ii diaphor. ℥ss .

flaued. cort. citr. ℥iij .

facch. albiss. in aqua

rosarum soluti ℥vii .

M. f. Morfuli.

2.

R. pulv. rhabarb. opt.

cremor tart. aa ℥ij .

flaued. cort citri

recens derafae ℥ss .

facch. canar. ℥iv .

M. f. Morfuli.

II. Mor.

II. Morfuli anthelmintici.

R. conf. absinth. vulg.

femin. fanton.

tanacet. aa ʒij.

aethiop. miner. ʒiij.

res. ialapp. ppt. ʒiʒ.

sacch. albiss. infuso tanaceti

solut. ʒv.

M. f. Morfuli singuli vnciae dimidiae.

III. Morfuli stomachici.

1.

R. conserv. menthae ʒiij.

nunc. ind. mosch. condit.

cort. cascar.

Orant. aa ʒij.

macis. ʒj.

M. f. cum sacch. albiss. in aqua rosar.

soluti q. s. Morfuli, oleo de ce-

dro et citri oblinendi.

R s

2. Rg.

2.

R. cinnamomi 3v.

Zingiberis 3ß.

caryophyll. 3ij.

cardamomi

galangae

macis

nuc. moschat aa 3j.

amygd. dulc. excort.

pinear. mundat.

pistach. recent. aa 3ß.

facch. canar in aqua rosarum et cinnam.

aa q. f. soluti 16j.

M. f. Morfuli.

IV. Morfuli antacidi.

R. matr. perlar. ppt.

cret. albiss.

conch. ppt.

corall. ppt. aa 3j.

rad. zingib. condit 3iij.

cinnam. grosse triti 3j.

facch. albiss. in aqua pura soluti q. f.

M. f. l. a. Morfuli.

SECTIO